

Bavafius, Henricus Muffus, Anselmus de Amo, Anselmus Rubeus, Joannes Pavelionus, Arnaldus Sactacius, Silus Grassius, Maurus de Qualio, Petrus Scriba, Maurus Scarabovus, Volmannus, Bonzoleva Oculus, Gamondius Falarmons, Ruffinus Senca, Balduinus de Othonebono, Guido de Bonello, Joannes Pestenarius, Ardezzonus de Porticibus, Albertus de Bonello, Petrus de Ginello, Albertus de Enciis, Serbonellus, Ruffinus Canefrus, Ugo Gafforius, Albericus Ronga, Joannes Tressolus, Bonifacius de Murabois, Henricus de Axafa, Opizzo de Jacobo, Petrus Guercius, Ruffinus de Griffo, Guastavinus de Rovorédo, Ugo Judex, Magister Silus, Ruffinus Affaturatus, Jacobus Guercius, Ogerius de Pagino. Actum in Alexandria feliciter. Amen. Interfuerunt testes Villanus Salvaticus, Guilelmus de S. Stephano, Rubaldus de Fore, Nolefius.

Ego Vescontus Imperialis Aulæ Notarius hanc cartam jussu istorum consulum, & credentiariorum scripsi.

(1) *Feruntur alia exemplaria hujus concordiae sed vitiosa. Horum unum habet indist. IV., quæ non convenit cum anno MCCIII: additur in eo die Dominica XI. exeunte martio; at neque hæc nota conciliari potest. Anno enim MCCIII. die undecima exeuntis martii erat die XXI. feria sexta, non Dominica.*

*Fædus inter Alexandrinos, & Vilielmum marchionem Montisferrati.*

119

MCCIII.

In nomine Domini Jesu Christi. Amen. Hæc est forma concordiae faciendæ, inter D. Vermum marchionem Montisferrati suo nomine, & vice D. Bonifacii patris sui ex una parte, & commune Alexandriæ civitatis ex alia. In primis D. Vermus marchio dabit, & investiet commune Alexandriæ nomine gentilis, & recti feudi medietatem omnium regalium, quæ Dominus Imperator quondam habebat in illa civitate intus, & extra, & specialiter dabit, & remittet communi Alexandriæ totam investituram consulatus, & potestariæ, quam investituram ipse dabit in feudum communi Alexandriæ, si eidem communi placuerit, & de voluntate ipsius communis fuerit, aliam vero medietatem in se retinebit. Item dabit medietatem totius Sexadii, videlicet medietatem pro indiviso Sexadii, & Retorti, & Castrinovi, & utriusque Carpeneti, & Carmorini cum omni honore, & integritate secundum quod ipse, & pater ejus usi sunt tenere, & possidere in castellis, villis, vassallis, hominibus, nemoribus, terris cultis, & incultis, venationibus, pascuis, aquis . . . & montibus, & aliis rebus expeditam, & deliberatam ab omni homine, loco, & civitate, & specialiter a Nicoloso de Janua, salvo jure antiquorum vassallorum. In alia medietate nihil requirere debent homines Alexandriæ, & pro isto feudo jurabunt homines Alexandriæ a XV. annis supra, & a LXX. infra, fidelitatem prædicto D. Vermo more gentilium vassallorum contra omnem hominem, salvo Imperatore; ita tamen quod pro Imperatore non teneantur guerriare Marchionem,

& salvo Mediolano. & civitate Derthonæ, & loco Cassinarum tali modo, quod homines Alexandriæ in hac fidelitate non teneantur Marchioni contra prædictas civitates, & locum, nisi cum venerint super terram Marchionis ad guerriandum. Præterea infra scriptus D. Vermus faciet finem, & remissionem communi Alexandriæ de omnibus rationibus, & jure, quas, quodve habebat in locis, ex quibus fundata est Alexandria; & in hominibus, & rebus ipsorum universaliter, & specialiter, & in ipsa civitate Alexandriæ, etsi quondam habitis ex regalibus redditibus exceptis vassallis, & omnia ista faciet juramento confirmari a Domino Bonifacio de Cravesana, & Domino Manfredo de Salutiis, & a Domino Othone de Bosco, & ab illis militibus suæ curiæ omnibus, quibus commune Alexandriæ voluerit. Insuper Dominus Vermus infra scriptus juravit adjuvare, & manutenere in statu civitatis civitatem Alexandriæ, & ejus cives, & eorum bona ab omni homine, & civitate, & loco, excepto Imperatore, nec tamen pro eo debebit eam guerriare, sed bona fide ipsam cum eo concordare. Item tenebitur dare opem, & consilium, & forciam per se, & per homines suos bona fide communi Alexandriæ ad habendum Episcopum, & Episcopatum. De facto vero Marchionum de Occimiano eliget duos homines ex sua parte, Marchiones vero duos ex sua, qui debebunt eos concordare bona fide, si poterunt: & si non poterunt, faciat rationem sicut debet, & uti debuerit. Item de facto illorum de Foro eligent illi de Foro, unum militem de curia Marchionis, & alium de Alexandria, qui ambo sint vassalli Marchionis, & qui teneantur bona fide eos concordare, quod si facere non poterunt, rationabiliter determinent infra duos menses, ex quo fuerit requisitum ab illis de Foro, nisi concordia partium remanserit. Et omnia ista promittet attendere, & observare bona fide, & supra scriptum feudum defendere ab omni homine loco, & civitate communi Alexandriæ sub hypoteca suorum bonorum. Item faciet copiam communi Alexandriæ privilegiorum, & instrumentorum suorum ad regalia pertinentium ad utendum si fuerit necesse, & ad exemplandum. Item tenebitur Marchio, quod non posset dare, vel alienare aliquo modo, seu in feudum dare alicui, nisi communi Alexandriæ res, quas in se retinebit Alexandriæ durante concordia. Et omnia ista promittet, & jurabit ad sancta Dei Evangelia suo nomine, & nomine patris sui attendere, & observare. Homines vero Alexandriæ promittent, & jurabunt, quod non recipient aliquem hominem, vel aliquos de terra Marchionis pro habitatore, vel ur̃no scienter, & si aliquis iret illuc ad habitandum, dabunt ei licentiam infra dies XI. ex quo fuerit ei requisitum. Item infra duos menses, ex quo fuerit eis requisitum ab eo, vel ejus nuncio dimittent ei illud jus, quod cognoscant per se, vel rationabiliter poterunt prætere se habere in Castelletto. Item quod facient jurare illos, qui sunt, vel pro tempore fuerint, quod non fecerunt fidelitatem Marchioni, si fuerit ab eo, vel ejus nuncio requisitum. Item si habuerint potestatem non civem Alexandriæ, quod facient jurare,